Speroni Joachimi: Quaestio theologica de vero supernaturali cognoscendo.

D. O. M.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

DE

Vero Supernaturali cognoscendo.

Ex 1a. 2a. D. Thomæ q. 109.

Præsidente Adm. Rn̄do Patre,

D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,

S. Th. Doctore ac Professore, Protonotario Apostolico, Ecclesiæ S. Floriani Præposito, Scholastico Moscorouien. Cancellario Siradien. S. Facultatis Theologicæ Decano.

A

M. IOACHIMO SPERONIO, S. Th. Professore, Ecclesiæ S. Floriani Canonico, in Celeberrima Academia Cracouien. publicè ad disputandum.

PROPOSITA.

Permissu Magnifici Dn̄i Rectoris.

Anno Domini 1651. Mense Iulio. Die 6. Horâ 12.

CRACOVIÆ. In Officina Francisci Cæsarij, S. RM. Typog.

Gratia Dei, in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus; monendo exemplis; terrendo periculis; incitando miraculis; dando intellectum; inſpirando conſilium; corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.

D. Proſper Lib: 2. de vocat. gent. c. 26.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

De vero ſupernaturali cognoſcendo.

An præter concurſum cauſæ primæ generalem, in quocunq́; ſtatu, ad cognoſcendas ſolis naturæ viribus veritates; tam naturales Speculatiuas & Practicas, homini debitum: quàm ad ſupernaturales, ſpeciale Diuinæ gratiæ auxilium, fuerit neceſſarium nec ne?

CONCLVSIO I.

Datur concurſus cauſæ primæ, tam ſimultaneus quàm præuius, vt ad omnes cauſarum ſecundarum operationes & effectus; ita ad cognoſcendum verum naturale homini neceſſarius.

COROLLARIA.

1. Concursus generalis est virtus, & perfectio Dei ad extra; quâ quæuis causa secunda, ad suum finem in operando dirigitur.

2. Causa prima cum secundis, tam necessariò quàm liberè, tam naturaliter quàm supernaturaliter operantibus, generaliter concurrit.

3. Tanta est Diuini influxus cum causis creatis, in effectus ipsarum necessitas, vt magis quàm causalitas earundem requiratur.

4. Motio actualis Diuinæ voluntatis ad extra, quæ est influxus immediatus, in causas secundas, cōcedenda est.

5. Dictæ motionis præuij concursus, esse, licet sit incompletum quid; causis tamen secundis tribuit complementum.

6. Deus O. M. nihil omninò lassitudinis, passionis, mutationis, experitur; aut de nouo res producendo, aut ad fieri, esse, operari, conseruari earundem concurrendo.

7. Entitas positiua actus peruersi est, à causa prima, deformitas eiusdem est à causa defectibili.

CONCLVSIO II.

Sex in vniuersum status hominis, sufficienter assignantur.

COR-

COROLLARIA.

1. *Status dicitur, vitæ hominis conditio, ſub qua conſtitutus, à Diuina prouidentiâ, in finem ſuum ordinatur.*

2. *Licet in puris naturalibus homo nunquam extiterit, benè tamen in illo ſtatu creari potuit.*

3. *Homini in puris naturalibus gratiæ denegatio; non priuatio, ſed iuxta illũ ſtatũ, naturæ fuiſſet conditio.*

4. *Erroneum eſt dicere, primæ creationis integritatem, non fuiſſe indebitam, naturæ humanæ exaltationem, ſed conditionem naturalem.*

5. *Statu innocentiæ, in via, nullus fuiſſet beatior, ſi homo in eo perſiſtere potuiſſet.*

6. *Status naturæ corruptæ, nec redemptoris gratiæ reparatæ, priuatiuè à ſtatu puræ naturæ diſtingueretur.*

7. *Cum ſtatu reparationis hominis per gratiam, conſiſtit naturæ ex fomite peccati, & ſenſualitate corruptio.*

CONCLVSIO III.

In ſtatu naturæ lapſæ, per ſolas vires naturales, quodlibet verum ſpeculatiuũ naturale; poteſt homo cognoſcere, non omne practicum.

COROLLARIA.

1. Speciale auxilium ad quaslibet distributiuè ordinis naturalis, cognoscendas veritates, non est homini necessarium.

2. Vt quodcunq; verũ naturale, homo citra errorẽ, in omni statu potuisset cognoscere, excepto statu innocentiæ, speciali eguit auxilio.

3. In statu lapso, nec futura contingentia, nec secreta cordium, nec obiecta, entitate naturalia, modo, & fine supernaturalia, sine speciali dono gratiæ cognoscuntur.

4. Non in omni statu æqualiter; sed in aliquo, verum naturale perfectiùs, ac sine errore poterat homo cognoscere.

5. Ignorantiâ in intellectu, in voluntate malitiâ, in irascibili infirmitate, incõcupiscibili sensualitate, natura post lapsum est vulnerata.

6. Non est virium hominis, in natura corrupta, omnes collectiuè morales nosse veritates; sine speciali auxilio, licet possit plerasq;.

7. Potentia cognoscitiua, per habitus, & actus diuersorum obiectorũ, est aliter & aliter determinabilis.

CONCLVSIO IV.

Ad cognoscendum verum supernaturale,

speciale

ſpeciale Diuinæ gratiæ auxilium, in quocunque ſtatu ſimpliciter fuit, & eſt homini neceſſarium.

COROLLARIA.

1. *Deus O. M. eſt Ens ſupernaturale, ſimpliciter ac per eſſentiam, & quoad operandi efficaciam, ab alio independenter.*

2. *Impiè Atheiſtæ Ens æternum, ac intelligibile inficiari; falsò Manichæi, nihil quod rationem excederet, verum eſſe ſuadere; erroneè Pelagius, non ſimpliciter, ſed ad faciliùs operandum neceſſarium eſſe principium, ſupernaturale docere, conabantur.*

3. *Siue euidenter ac per propriam ſpeciem, ſiue obſcurè, verum ſupernaturale cognoſcitur, vterq; modus vt excedens, non ex nobis, ſed à ſpeciali eſt gratiæ auxilio.*

4. *Medium infallibile pro hoc ſtatu verum ſupernaturale, cognoſcendi ſola eſt diuina autoritas, motione ſpeciali intellectui applicata.*

5. *Ne imperfectũ quidem initiũ, vel deſideriũ fidei ac ſalutis, habentur; ſine præueniente, & adiuuante gratia.*

6. *Nulla eſt cognitio nobilior, quàm quæ ab habitibus infuſis potentiam eleuantibus deriuatur.*

7. *Ad aſſenſum formalẽ in rebus fidei, præter diuinam reuelationem, diuini ſpiritus illuſtratio, & motio peculiaris eſt neceſſaria.*

Sub felicibus Auſpiciis.

Perilluſtris Admodum Rñdi. & Magnifici Dñi.

D. IACOBI GORSKI,

I. V. Doctoris & Profeſſoris, Protonotarij Apoſtolici, Eccleſ: Cathedralis Crac: Canonici, & Collegiatæ SS. Omnium Cuſtodis, &c. &c. Vniuerſitatis Cracouienſis

RECTORIS

Vigilantiſſimi.